1033.

De ritibus sacrificandi apud Graecos solemnibus

maximam partem ex Homero

adumbravit

Ed. Schlüterus

10. b.

1824

Scripturo mihi de ritibus sacrificandi apud Graecos, praecipue apud Homerum, usitatis, tota materia, missis fabulis, quae de origine eorum narrantur, ita tractanda videtur, ut primum de causa et fine sacrorum, tum de rebus, quae immolari solebant, deinde de iis, quae omnibus sacris antecedebant, ~~et~~ de ornatu sacerdotum, victimarum et ararum, denique de ritibus inter sacrificandum et post oblationem solemnibus disseram.

I

Sacrorum quattuor praecipue erant genera,

1, εὐκταῖα, χαριστήρια Vota seu sacrificia sua sponte oblata. Cujus generis erant sacrificia, quae ante victoriam Diis pollicebant, postea religiose persolvebant. Hujus generis erant etiam primitiae, ἀπαρχαὶ, ἀπάρχματα quae pater familias, ~~ut~~ gratum ~~suum~~ animum erga Deos, quorum beneficiis praemia laborum, quos in terrae culturae impenderat, debebat, significaret, et alia hujuscemodi

2, Ἱλαστικὰ seu διαλλακτικὰ piacula, ~~quae~~ quae ad deppellendam alicujus Dei iram offerebant.

3, Ἀπητικὰ, quibus propositi alicujus eventum prosperum sibi efficere studebant

4. Τὰ ἀπὸ μαντείας, quae ab oraculo vel vate aliquo praescripta et indicata erant.

Antiquissimae gentes neque bestiis nec aliis rebus pretiosis et caris ad sacrificandum utebantur. Nec myrrha, nec thus neque casia adhibita, herbae tantum et plantae cum radicibus, foliis et gurgitibus in Deorum honorem offerebant. Ovid. Fast. I seq. Quod quam clarissime elucet e lege ab Triptolemo lata, ubi omnis bestiarum usus Atheniensibus prohibitus. Cui etiam Draconis temporibus sacrificia e farre tantum pomoribus constabant. Verum enim simulatque herbarum radicumque usu abstineri ab hominibus coeptum est carnemque ederunt homines, sacrificia quoque mutata sunt, quippe quum eundem cibum qui sibi placeret, Dis quoque etiam gratum acceptumque fore judicabant.

Sacrificia posteriorum temporum tres erant: σπονδή, λοιβή et ἐρεῖον, quod Hesiodus Ἔργ. v. 334 significasse videtur. Quibus tamen singulis occasionibus etiam singulis uti licebat. Unde Eustathius non solum in sacrificiis solemnibus σπονδὰς et libationes e vino usurpatas fuisse, dicit, sed etiam ab iis qui iter suscepturi erant, qui cubitum irent, qui hospitem acciperent aliisque hujusmodi occasionibus. Itaque in omnibus rebus minoris momenti libationibus et suffitibus auxilium et benevolentiam Deorum sibi deposcere videntur, solemnia vero sacrificia in maximis tantum rebus adhibita, et quoniam majorem jam

sibi sumtum poscerent atque majoris laboris et curae impendendae essent.

1, σπονδὴ et λοιβὴ eandem fere apud Graecos habent significationem, quam χέειν. Quae tamen vocabula, quia in libationibus semper usurpabantur magis magisque in hanc singularem sacrificandi significationem abierunt.

σπονδαὶ potissimum fiebant vino, cujus duplex erat genus: ἔνσπονδον et ἄσπονδον, quorum alterum in libationibus utebantur, alterum non, quia a vino mistum erat. Inde etiam nomina sua traxerunt. σπονδαὶ ἄκρητοι Ze. II, 341. λοιβὴ δι' ὕδατος οἴνου Ze. I, 462. XVI, 230 seq. Byss. III, 459, praeeuntibus Graecis.

* libabant pomis, quae apud Divi liores aurea erant. Tale Pelei χρύσεον ἄλεισον Il. XI, 774, Menelai χρύσεον δέπας Od. XV, 149. – Pocula usque ad labra vino implebant, quod a poetis ἐπιοτρόοδα κρητῆρας dictus. Od. I, 148. Il. I, 470. Pocula plena κρητῆρες ἐπιοτρόοι οἴνοιο apellantur. Il. VIII, 232. Od. II, 431. v. etiam Il. XVI, 255 seq. ubi merito fit Achillei poculi ad libandum tantum adhibitum.

2, suffitus, θύος quoque ad sacrificia pertinent. θύος non victimam, sed τὰ ψαιόμενα i.e. fructus fractos, folia, glandes significat. quibus solemnibus antiquiores ut sacrificando utebantur. Apud Homerum vox θύειν nusquam de mactanda victima (quod verbis ῥέζειν, ἱερεύειν, δρᾶν exprimit) proprie semper de suffitus praebendo, usurpatur v. Scholiast. ad Aristoph. Plut. v. 660. Plin. H. N. XIII, 1, Etiam temporibus, ait, thure non supplicabatur: cedri tantum et citri suorum frutuum in sacris fumo convolutam ridorem verius, quam odorem, noverant."

Homerus suffitus cum libationibus conjugit. Il. IX, 498
Hesiod. ἔργα. 336.

οὐλαὶ, οὐλοχύται. Longum est diversas de hac re sententias recensere. Disseruerunt nuper Heine in opusculis academ. I, p. 368. Vossius in adnotat. ad Virg. Eclog. 8, 82, Buttmann in lexilogo p. 191 seq. οὐλαὶ grana hordei crassius molita, immista sale, et fricta fuisse videntur, quae ante sacrificium victimis et aris inspergi solebant. Mola salsa eadem fere est, nisi quod loco hordei apud Romanos triticum usurpabatur.
v. Odyss. III, 441. + Herod. I, 160 οὐλαὶ κριθῶν. Inspersio ipsa πρόχυσις vocabatur.

+ Il. I, 449, 458. II, 410, 421. Od. III, 447. IV, 761, III, 445.

3, Plurimis sacrificiis ut recte patrentur victima ἱερεῖον, necessaria erat, in quibus summus habitus delectus, ut esset quam optima et perfectissima, integra, sana, illaesa, cui omnia membra essent integra nec mutilata. Odyss. XI, 30 -- στεῖραν βοῦν ἥτις ἀρίστα. Il. I, 66 XXIV, 34. Tale ἱερεῖον τέλειον nominabatur.

Quod ad diversa animalium genera attinet, quae ad sacrificandum adhibebantur, omnia fere immolabantur. Putabant enim omnia hominibus jucunda et utilia Diis etiam grata jucundaque esse debere. Nihilominus tamen et Deorum, quibus sacra faciebant, et hominum, qui sacra offerrebant, respectum habebant. Nam homines pro vitae ratione mactare hostias solebant, ut ovium pastor oves, bubulcus bovem, caprarius capram, alias alius. Variis Diis variae quoque victimae distinguebantur specie, aetate, colore, sexu. Itaque Diis inferis plerumque nigras, albas superis mactabant victimas, sterilibus steriles, fecundas fecundis, masculis mares, femineas feminis et q. s.
Homerus quattuor tantum bestiarum genera ut

in sacris ita et in victu communi ab heroibus usurpata commemorat, quae sunt oves, sues, boves, capras. Odyss. XIII, 278 seq. Il. I, 41. XI, 728 seq. Plin. H. N. VIII, 45.

Singulis fere Diis sua erant animalia sacra. Sic secundum Aristot. Ethic. IX, 2. Jovi ovem mactare nefas erat; νομικὸν, ait, αἶγα Διὶ θύειν, ἀλλὰ μὴ προβάτα. Plin. H. N. l. l.

Apud Homerum videmus Jovi immolari bovem aetate majorem Il. II, 403 πενταέτηρον, Il. VII, 315. Sine dubio quia hac aetate erat praestantior. Sic in Odyss. XIX, 420 etiam in epulo bos quinquennis adhibitur. Polyphemus Jovi arietem mactat Odyss. IX, 461. Eidem simul cum Sole verres immolatur Il. XIX, 197. Quod et Romanis in foederibus feriundis usitatum fuisse ex Livio I, 24 constat.

Apollini tauri et caprae offerrebantur. Il. I, 41. itemque agni primogeniti Il. XXIII, 864.

Neptuno saepius tauri caedebantur παμμέλανες Odyss. III, 6. Il. XI, 728.
Alpheo et Xantho fluviis quoque tauris sacrificatum Il. XI, 728, tauris et equis Il. XXI, 131 coll. XX, 74.
At Sperchio ovibus Il. XIII, 147.

Minervae frequenter mactabant juvencam Il. XI, 291 seq. ἦνιν, ἀδμήτην. Il. VI, 94 ἠκέστας. Odyss. III, 383. Silius XIII, 431 casta cervice. Virg. Aen. IV, 546 et 551 intacta cervice. Ovis quoque ei oblata Odyss. IV, 764.

Mercurio immolati agni et haedi. Odyss. XIX, 398, uti nymphis quoque Odyss. XVII, 241.

Inferis denique sterilis varra Odyss. X, 522. XI, 30.

Etiam homines immolasse quibusdam gentibus usitatum fuisse e Caesare de Gallis, e Lucano de Massiliensibus, e Tacito de Germanis et Britannis notum, apud Graecos aliasque gentes exoletissse non ita pregnantes fuisse constat. Scimus tamen e Plutarcho Themistoclem, a prospero contra Persas eventum sibi pararet, nonnullos hujus nationis immolasse captivos; itemque Aristomenem, Messenium, trecentos Iovi homines mactasse, inter quos etiam Theopompum, Lacedaemoniorum regem, quis ignorat? Illaci saepius in lustrationibus et piaculis fiebat Bacchum in Arcadiam aram habuisse, ubi plures puellae ad aram usque caedebantur, quis nescit? Similem apud Lacedaemonios in honorem Dianae fimus obtinuisse morem. Seorumque Manibus Diisque inferis tales offerebantur victimae. Sic Polyxenae manibus Achillis immolata, qui heros ipse duodecim Trojanorum captivos in pyra Patrocli concremavit. v. etiam Virg. Aen. X, 517. - Cave te vobis exclamare: quantum religio potuit suadere malorum!

Notandum etiam videtur, ut semper et temporum et sacrificantium habenda ratio. Quamquam hominem divitem victimas viles offerentem Deos despicere putabant, tamen victimas vilissimas ab homine pauperes atque inopi grato animo oblatas Diis gratas et promptas esse sibi persuadebant.

Immunis aram si tetigit manus,
non sumptuosa blandior hostia
mollivit aversos Penates
Farre pio et saliente mica. Horat. III, 23.

Sic Ulixes inopia molae salsae foliis quernis usus est. Odyss. XII, 358. Ab hominibus divitibus victimas cariores expectabant, quare pluris simul animalia mactare solebant, praesertim quum magna a Diis beneficia ab iis accepissent, aut impetrare vellent. Unde tam frequens apud veteres hecatombarum mentio. ~~Error~~ Quarum sub nomine neutiquam centorum bourn sacrificia intelligenda, sed indefinitus tantum eorum numerus. Sic Il. VI, 93. 115 sacrificium duodecim bourn hecatomben constituunt Odyss. III, 7. 59. unus et octoginta - Il. XXIII, 146. 147. 864. Il. I, 65. 315. Odyss I, 25. - Herodotus etiam donaria ad hecatombes referre videtur IV, 179 - tamen VI, 128 propria significatione utitur.

III

Cuique sacrificio lustratio, καθαρμός, ἁγισμός, ἰδασμός, ῥαντήριον antecedebat. Impure ad sacrificia accedere nefas habebatur. Sic Hesiod. Opp. 338. ἔρδειν ἱερὰ ἁγνῶς καὶ καθαρῶς. Tibull. I. II, eleg. I, 11.

Vos precor ite procul, procul hinc abeatis avari
Quos habet infernae gaudia nocte Venus:
Casta placent superis; pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Lavare manus Homeri quoque temporibus, quoties erant aut vota libanda, aut sacra facienda, religiose solitum. Sic Hector Il. VI, 266 χερσὶ δ' ἐνίπτω ἀκηδέα οἶνον ἀφύσσειν Διὶ τερπικεραύνῳ. Nestor Il. IX, 179. Achilles XVI, 230. III, 270. Penelope prius quam Deos imprecatura vestes lavat. Odyss. IV, 759.

non quaelibet aqua in lustrationibus adhibebatur, sed praecipue e fonte vel flumine hausta. Imprimis vero aquam salsam, ob ingenium, ut ait Proclus, portionem maxime καθαρτικήν existimabant. Unde Apoll. Rh. de Argonautis l. IV, 661

Κίρκην
Εὗρον ἀλὸς νιπάδεσσιν ἰκάρῃ καθαιρόμενον
Τοῖον γὰρ νυχίοισιν ὀνείρασιν ἐκτετύχητο

Hinc aqua marina praelata Telemacho Odyss. II, 261 Alioquin sal aquae dabat immistum. Theocrit. XXIV, 95 seq. Hieromnemon salpham injectum. Il. XVI, 228 Ulixes in lustranda Domo Odyss. XXII, 481 seq. Conf. Jav. Sat. II, 157. Ovid. Met. VII fab. 2. terque novies aqua, ter sulphure lustrat.

Praecipue eos lustrandos censebant, qui se sanguine hominis polluissent. Il. VI, 267 seq. ubi Hector dicit:

— — οὐδέ τῇ ἔοικε, καθαιρεθεῖ κρουνίοισι
δῶμα κὶ ἀμφίπυρον σπλαγχνίσαι ἐνδέμεναι

Itemque qui incestum adulteriumve commisissent aut mortuos tetigissent. Il. I, 313.

* Sordes lupinae, καλάμαρα, quae in lustrationibus abluisset aut in aquam abjicere, ut Il. I, 314, aut in terram defodere mos erat v. Pausanias Corinthiaca C. XXIX.

Priusquam sacrificandi initium faceret κῆρυξ sacerdotes aut quisque imperans abibet clara voce exclamabat. Sic in Callimachi Hym. in Apoll.

— — ἐκὰς, ἐκὰς, ὄστις ἀλιτρός

quae Virgilius Aen. VI, 258 seq. ita expressit

— — procul, procul este profani
Conclamat vates, totoque absistite luco

Coestibus temporibus sacerdotes pretiosis vestibus amicti erant, plerumque regali vestitui admodum similibus, aut non admodum ab iis diversis. Athenis splendidis pretiosisque utebantur vestibus, quas, ut narrat Athenaeus, Sophocles in Tragicorum usum introduxerat. Spartae ceteris ritibus sacris vestitus quoque communis erat. — Sacerdotes semper nudis pedibus sacrificabant. Vestes laxae, purae, fluentes esse debebant. Color vestium pro ratione Deorum, quibus sacra curabant, diversus erat: in sacrificiis sapeis oblatis purpureus, niger si inferis immolabatur, in Cereri albus.

Capiti coronas imponebant, plerumque e frondibus arboris, quae Deo, cui sacra faciebant, sacra erat. Sic in sacris Apollinis oblatis ~~corona~~ laurea caput ornabant, corona hederacea si Baccho sacrificabatur, si Jovi querna, oleacea Minervae.

Praeterea infula caput cingebant, quae in utraque parte dependebat. Virg. Aen. X, 538. III, 81 Non solum sacerdotes infula, plerumque e lana confecta, ornati erant, sed etiam cornua victimae araque infulis redimibantur. Virg. Aen. II, 133, Velatae auro vittisque juvencae.

Saepius capite adoperto sacra faciebant, Saturno vero, ut ait Plutarchus, capite operto (κατὰ παράδοσιν τοῦ θεοῦ) sacrificare solebant, paritur etiam ἀ Herculi.

Collum victimae quoque sertis redimibant. Unde Polyxena a Lycophrone στεφηφόρος βοῦς appellatur. Saepius etiam cornua hostiae auro obducebantur. Quod a Dionede Minervae policitus Il. X, 294. conf. Odyss. III, 437 coll. 384.

Aris quoque verbenae singulis Diis sacrae imponebantur
Aliis diis aliud ~~ad~~ sacrificandi tempus constitutum.
Diis superis sole oriente vel statim post immolabatur,
Diis inferis occidente, saepius etiam media nocte.
His enim noctem, illis lucem gratam esse judicabant.

IV.

Omnibus tali modo praeparatis mola salsa, culter. (μαχαίρα Hym in Apol. 535. Aristoph. pax. 1017) aliave ad mactandas victimas instrumenta ac coronae in canistro afferrebantur.

* Canistrum κανοῦν (Arist. Pax. 256) vocatum, unde virgines Athenienses, quae in Panathenaeis aliisque sacris solemnibus canistro ferebant, κανηφόροι vocatae.

Victimae minores, ut oves aliaeque liberae, majores prehensis cornutus ad aram deducebantur. Odyss. III, 439

βοῦν δ' ἀρέτην κεράων Στράτιος καὶ δῖος Ἐχέφρων

Saepius victima laxa fune eo ducebatur, ne vi coacta ad aram accedere videretur, quod mali erat ominis. Juv. XII, 5.

Sed procul extensam petulans quatit hostia funem
Tarpejo servata Jovi, frontemque corruscat.

Nonnunquam etiam quidam victimam tibiis ad aram comitabant, quod tamen raro ~~factum est~~ non nisi in majoribus sacrificiis, praecipue in hacatombis faciebant.

Tum aram circumdabant, quam a sinistra ad rectam procedens sacerdos aqua cum farina mista adspergebat. Praesentes quoque omnes torre ex igne sumto, aut ramo laureo adspergebat. Haec aqua χέρνιψ vocata, distinguenda est ab ea, qua manus lavabantur.

Inde apud poetas χερνίπτεσθαι idem saepe, quod ἱερὰ ῥέζειν significat.

Deinde praeco magna voce exclamabat: τίς τῇδε; Populus respondebat: πολλοὶ κἀγαθοί. Postea vero voce εὐφήμεθα ad praefandum hortabatur. Quod ex Aristoph. pace notum. Petebant vero ea pro quibus sacrificia offerebant, uti Chryses pro pestis amolitione Il. I, 456. Eumaeus pro reditu Ulixis Odyss. XIV, 423 seq.

Simul praeco omnibus silentium indicebat: εὐφημεῖτε, σίγα, σίγα πᾶς ἔστω λέως. Quod etiam apud Romanos in more erat. Exclamabat enim praeco: favete linguis, quod Horat. Car. LIII, od. 14 „malis ominatis parcite verbis" expressit.

Finita precatione sacerdos cognoscebat perfectane atque integra esset victima, necne. ~~Singulas~~

Inde iterum precabant, tum arrepto poculo vinum gustabat, itemque praesentibus gustare jubet, reliquum inter cornua victimae effundebat.

His peractis thus aliaque suffimenta arae, atque, ut nonnulli existimant, etiam fronti victimae imponebant.

* Suffimenta in θυμιαμαθηρίῳ servabantur.

Postea pars οὐλῶν e canistro in victimae caput alterguum fundebatur. Il. I, 449. Od. III, 441 coll. Od. XII, 358 – altera pars arae injiciebatur.

Omnia haec προθύματα vocabantur.

Addebant pilos e victimae fronte exsectos. Od. III, 445 ... ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλων. Odyss. XIV, 442. Virg. Aen. V, 245 seq.

Eris ad partationem se conferebant. Ac primum quidem victimam secuti percutiebant. Odyss. III, 449. Eumaeus in hanc rem stipitem querno usus est Od. XIV, 425, quem morem in Cappadocia inventum dicit Strabo XV. Schol. Callim. H. 32 et Ovid. Met. II, 625.

Percussae deinde victimae in superorum sacrificiis jugulum resupinatum ultro hippositō incidebant, quod ὑπερέρευν apud Homerum vocatur. Il. I, 459, II, 422. Od. III, 453 seq. Orph. Argon. 311. τέμνον ὀφέων, ἀνακλίνας κεφαλὴν εἰς ἠέρα δῖαν; in inferorum vel heroum sacrificiis in terram inclinatum cultro suppositō. Od. X, 528, et Schol. ad Il. I, 459.

Ceterum lancibus in vas quoddam excipiebatur, quod λοβὸν vocat Homerus Odyss. III, 444, aliis etiam ὀλοφῶιον appellatum. Aristoph. Aves v. 1558 et Lysist. 204. sanguis in honorem superum pateris ante aram effundebatur, sin vero inferis sacrificabatur, super fossam victimas praecipitabant et sanguinem in eam injiciebant. Od. XI, 34.

Jugulatas victimas exossabant ossaque e femoribus exsectos† aut membrana adiposa (μηρός) aut adipe (κνίσσα) involvebant duplici, μηρία κνίσσῃ κατὰ δὶς καίοντες; omnia etiam singulis partionibus pinguissimis cooperiebant, ὠμοθέτησαν. Od. III, 456. Il. I, 460. Od. XIV, 427 XVII, 241. Talis modo comparata aris imponebantur farina consperta μηρία Ἑκατείῃσι Ποσειδάωνι, Ἀπόλλωνι Od. III, 179. 21. 267. atque combustis μηρία καίειν, καὶ μηρία καίειν, ἐπὶ μηρία κτεινὶ adjectis etiam verbis ἐπὶ ῥωπῶν. Originem hujus sacrificii

† μηρία, μῆρα Il. I, 40. Od. IV, 764. Il. VIII, 240

solidi-

Od. IV, 429

in Hesiodo Theog. 536 seq. 556 narrat. Vid. etiam Vossii litteras mythologicas 2, p. 303–322.

Superfundebantur ossis libamina e vino Il. I, 462. XI, 779 seq.

Porro exta victimae ab iis dissectae assabantur verubus ac in epulo, nisi super his juratum fuerit (Il. XIX, 268) statim mandducabantur.

Adhibantur etiam furcis quinque dentibus ornatis†, quibus ignem excitabant. Il. II, 426. I, 463. Odyss. III, 460. †(πεμπώβολον)

Sacrificii, praesertim quum ex voto quodam omine Dis sacra accepta fuisse colligerent, sacrificium epulum sequebatur. De hoc finem mensae antiquitus in Graeciae templis dispositae, quibus varia ferenda Dis suis apponebant. Hic quoque referendum, quod Cicero in [illegible] libris suis de N. D. l. III de Diogene dixit. „Jam mensas argenteas de omnibus delubris sustulit auferis, in quibus quod more veteris inscriptum esset, Bonorum Deorum, uti se eorum bonitate velle diceret. Putabant enim Dei eorum sacrificiorum participes esse. Il. I, 423 Od. VII, 201. ἀεὶ γὰρ [illegible] τὸ πάρος γε θεοὶ φάσαν ἐναργέες Ἦμεν αὐτοὶ ἐρδόμεν ἑκατόμβας Δαίνυνταί τε παρ' ἄρμα καὶ ἑστίῃ ἐνδὸς ἕκηλοι.

In epulis, quas in multam noctem producebant in Deorum honorem cantum edebant. Sic Achyles Il. I, 472. οἱ δὲ παννύχιοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο,

καλὸν ἀείδοντες παιήονα, κοῦροι Ἀχαιῶν,
μέλποντες Ἑκάεργον· ὁ δὲ φρένα τέρπετ' ἀκούων